



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Exedræ Ecclesiasticæ Sive Concionvm Moralium ... t. ...

In Dominicas totius anni

Schrötter, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1688

XXXV. In Domin. VI. Post Pentecost, Et manducaverunt, & saturati sunt.
Matth. 8. v. 8. Arg. Panis salutaris.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56320](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56320)

CONC. XXXV.
IN DOMINICA VI. POST PENT.
Et manducaverunt, & saturati sunt. Matt. 8. v. 8.

ARGUMENTUM.

Panis Salutaris.



On omnis panis homini conducit, nec quis explet famem, ac appetitum ipsius A. Suis, ait Sapiens, est homini panis mendacii, & postea implebitur os ejus calculo. Complutenses legunt: Dulcis est homini panis mendax, & postea implebitur os ejus silicibus. Tigurina: Dulcis est homini panis fraude paratus; at tandem os ejus scrupulis implebitur. Quemadmodum panis scrupulis lapillisque mixtus intuenti desuper lapidus videtur; sed masticanti molestissimus accidit: ita deliciae, opeque fraude, & officinis conquistae speciem dulcedinis praesefereunt, at in fine exitiosae deprehenduntur; ac conscientiam, quae os animae (quo illa loquitur) mille scrupulis, angoribusque lancinant, cruciant, excarnificant.

Panis duplex

Prov. 20. v. 17.

Panis fraudulenti calculosus

Job. 20. v. 14.

De simili pane enuntiavit Jobus: Panis ejus in utero illius vertetur in sel aspidum interius. Cibus nimirum delicatus, cui quispiam per gulam, ac intemperantiam suam inhiat, initio quidem suavis videtur, sed tandem in amaritudinem definit. Omnis tenim voluptas ciborum primum quidem dulcedine quapiam sensus inescat; at

in exitu, per remorsum conscientiae morderet coluber.

Alius item Panis salutaris ac proficiuus de quo Psaltes: Panis cor hominis confirmat. Panis ingenerat vires, virtutem acuit, omnia membra corroborat, ac solidat. Paenis hic est labore proprio, industria singulari, modoque alias non iniquo partus. Hic enim verè confirmat, vegetumque, ac robustum hominem efficit. Verumtamen cum nihil tam salutare sit, cuius abusus non efficiat; videamus, quomodo & hic fumendus, ut proficit.

Narratio.

II. Politicus quidam adumbraturus multiplicem usum & abusum, virtutem, effectusque panis, eundem diversis symbolis ad latus mensae suae depingi fecerat. Ex his.

§. I.

Symbolum primum enodatur.

III. Primum symbolum pro corpore continebat in campo purpureo messem copiosam in cornua inhorrescentem; adnexa clavi: Hic ista efficit. Vulgatum siquidem proverbium est: Panis habet cornua. Non quod de facto cornutus sit, sed quod eadem protrudat abundantia illius; super-

Psal. 103. v. 16.

Panis habet cornua

superbiamque, factum, arrogantiam, petulantiam ingeneret.

Cornu A. malthea

IV. Commiscuntur Mythologi Deos munera sua in cornu inclusisse, (quod Amaltheæ indigitatum fuerat) Pandoreque obtulisse. Numquid illis saccus, aut vasculum aliud deerat? Numquid non honorificentius in carthesio, aut paropside ea præsentasset? Honestat quippe non modice munus ipsa manus conferentis, ac instrumentū, quo transfūditur. Quid itaq; mysterii, quod opes suas cornu incluserint? An inflare illud gestiebant, deprædicareque suam magnificentiam? Hoc hominum est, non Deorum vitium. An robur inesse opibus, perinde ac bifontibus figurabant? sed quid ea profuissent sexui evitato? Quid igitur? Dii non sunt siderati, norunt quid faciant? Quid itaque mysterii hoc Hieroglyphico involvebant? Non aliud sanè, quam quod panis copiosus agnata habeat cornua, eaque vel Caprorum, vel Bubalorum, vel Cervorum, vel unà omnium.

Opes cur in cornu dantur

Caprorum ingenerant, dum saturati, & inebriati ad obscœna quævis se effundant. Opum enim, ac abundantia individua prope pedissequa est Luxuria. Nam dum corpus per abundantiam refectionis resolvitur, cor ad inania, vel fœda etiam gaudia relaxatur. Nec facile exæstuantis concupiscentiæ stimulos inhibere poterit, quisquis per abundantiam ad immolandum gulæ se discinxerit.

Abundantia vitia generant

Bubalorum, quia ut plurimum ex intemperantia in furorem aguntur, alios viribus impares impetunt, & ferocia sua confisi humana, divinaque jura proculcant.

Cervorum, dum ex abundantia frumenti, aut æris; vini, aut olei, ad vanam jactantiam, despectum aliorum pompam vestium assurgunt. *Vicina esse solet potentibus superbia, Scribit S. Gregorius, & pene semper rebus affluentibus elatio sociatur; quia & saepe humeris abundantia duritiam dat tumoris.* Quemadmodum cornua generantur ex humorum abundantia; ita & elatio, præsumptio, superbia, ex abundantia panis.

S. Greg.

V. Quis quæso Judaico rebelli populo cornua ingeneravit? Nonne abundantia? *luxia pascua sua, ait Oseas adimpleti sunt, & saturati sunt, elevarerunt cor suum, obliti sunt mei,* Cum tam largiter eos, ac prodigiosè per manna, coturnices, lymphamque de petra profluentem eos pascere in deserto aridissimo, ac in pascuis uberimis illos collocassent; saturi cor, & cornua erexerunt. Impleverunt illud, quod de iisdem alibi per Moysen conquestus Dominus: *incrassatus est dilectus, & recalcitravit, impinguatus, dilatatus, incrassatus, dereliquit Deum factorem suum.* Panis, & copia erexit cornua. Quis itidem Nabuchodonozori, ut alii opinantur, cornua indidit, inque belluam transformavit? Nonne abundantia? Quis Jovi Amonio eadem aptavit? Qui Vitellio? Numquid non panis? Quis illis qui cornibus suis eventularunt populos, regionesque depopulati sunt? Panis. *Panis habet cornua.* Unde in præfenti, familia tam præfracta, tam contumax tam refractaria Dominis suis? Unde nunc tanta protervia in operis diurnis, in ipsis pauperibus, stipèq;

Oseas 13. v. 6

Deut.

ostentatim emendicantibus? Non nisi ex abundantia panis. *Panis habet cornua.*

Verum ô cornuta belluæ nonne audistis; quo fulmine super vos detonuerit Psaltes serenissimus? Excidit vobis credo parum, aut nihil pensi habentibus divina oracula, ac fulmina. Evibret itaque rursus idiplum, & inco-
ne; eloquatur, quod ante vobis prædixit: *Dixi, ait, inquis, nolite inique agere, & dereliquentibus nolite exaltare cornu.* Nolite quæso incedere tamquam boves, habitantes fœnum in cornibus, nolite impetere alios petulantia vestra, nolite fidere opibus, aut viribus. Cur istud: Audite; quia cornua peccatorum conterentur: *Cornua Peccatorum confringet Dominus.* Auferet Dominus copiam, & vos ad inopiam reducet, ut vel hac ratione humilitati studeatis, quam in abundantia addiscere detrectastis. *Cornua peccatorum confringet Dominus.* Non vultis, ut ipse vobis tandem comminuat, vos illa in tempore deponite. Oderitis contumaciam, ut possitis nancisci Dei, & hominum gratiam. Execremini proterviam, ut possitis obtinere libertatem perpetuam,

§. II.

Symbolam alterum mensæ proponitur

VI. Alterum symbolum in campo cohibuit nigerrimo, cui pro corpore parte ex una erat panis Gedeonis integros conterens exercitus; ex alia turba Judaica coturnicibus saginata; infra Epigraphæ, *Sic officit, & interficit.*

Excessus ciborum officit

Memorat historia Judicum, quod ad animandum Gedeonem contra Madianitas, eidem præceptum fuerit hostium castra ingredi. Quod ubi fecisset, audivit militum quempiam, somnium referre proximo suo, in hunc modum: *Vidi somnium, & videbatur mihi, quasi sub cœnericiis panis ex hordeo volvi, & in castra madian descendere, cumque pervenisset ad tabernaculum percussit illud, atque subvertit, & terra funditus coaquavit.*

Jud. 7. 9, 10.

Ex libro Numerorum itidem constat rebelii populo Israelitico, & manna cœleste nauseanti, demissam esse infinitam prope multitudinem coturnicum, sed & una iram Dei in eos detonuisse. *Adhuc carnes eranes erant in dentibus eorum, nec defecerat hujusmodi cibis, & ecce furor Domini concitatus in populum percussit cum plaga magna nimis. Vocatusque est ille locus, sepulchra concupiscentia.* Quamdiu contenti erant cibo uno, quamdiu abstemii tamdiu salvi, sospitesque mansere; at ubi voluptatum Ægyptiarum eos desiderium cepisset, ubi sese carnibus oppleverant, in cadaveribus bestiarum, ac volucrum mortem repererunt. Non Coturnices, sed Crocodilos quis dixerit fuisse illas volucres, quæ suas absumpserunt convivas.

Num. 11. 5 31, 32.

VII. Hieroglyphicum id omnis gulæ, tollere perimere, contrucidare illa novit, non saginare. Quod patravit in castris Madianitarum, ac Israelitarum idiplum etiamnum operatur in mensis Ganeonum, Mvibus & Mors suam genealogiam, & incunabula à Morsu traxere. Si Adam abstinuisset, mortua fuisset ipsa mors, nec mortale evasisset genus

nus nostrum. Sic officit & interficit. Hoc gladio Macedo, orbis dormitor, hoc Holophernes provinciarum terror, hoc Philistinorum Satrapæ, hoc alii innumeri periere. Sic officit, & interficit.

VIII, Unde non otiosè vulgatum adagio est. *Plures occidit gula quam gladius.* Bene multi tum in justis bellis, tum in duellis, tum aliis in tumultibus ferro cadunt, plures tamen per excessum cibi, potusque Comprobatum id oraculo Ecclesiastici contestantis. *In multis escis erit infirmitas, & propter culpam multi perierunt.* Excessus enim ciborum, potusque, si non illico vitam eripit; consumit, maceratque ægritudine diuturna, quoad tandem morte repentina conficiat. *In multis escis erit infirmitas &c.* Ut corpora ægra beneficio abstinentiæ restituuntur; ita per repletionem relabuntur, an emoriuntur restituta. *In multis escis erit infirmitas.* Etsi enim natura homini taxaverit annos, dielque vitæ, sobrius tamen eos prorogare pollet per abstinentiam, quos gulofus decurrat, ac imminuit per gultimargiam. *In multis escis erit infirmitas.* Cum saburra, ac sentina id commune habent cibi, ut si hisce corpus, perinde ac navis illa nimium oneretur, minima exorta tempestates seu adversitate mergatur, forbeatque. Si autem hæc justo moderatoque pondere gravetur rideat tempestas, perque decertantes feratur inconcussa procellas; & illud si remoderata diæta-ac temperantia utatur, gravissimarum etiam alterationum victor evadat. *In multis animis &c.*

IX. Noverat id probè Politicus alter qui tres viros sedulo indigavit,

nec uspiam gentium reperire potuit. Imprimis opificem gnavum, & gnarum artis suæ ad incitas redactum, Deinde constantem divini Verbi Auditorem impium, ac scandoloſum, Deum hominem Abstemium præmatu-
rè mortuum, aut è contra Heliuonem sola ætate gravem, ac recoctum. Hos inquit ille, quæsi in Germania, Gallia, Italia Hispania, Polonia, & nuspiam expiscari potui; plurimos autem notavi ex ipsa oppletione repentina morte, in ipso ætatis flore sublatoſ.

X. Noverat id medicus ille, qui ab ipsa edoctus experientia definire præsumpsit. omnes prope homines confici, aut propter gulam, aut alterius cujuspiam affectus inordinatam passionem. Hi sunt Geographi, qui limites humanæ constringunt; Parcæ quæ nemini parcunt. Hi carnifices qui exquisitis doloribus excruciatos conficiunt. Panis itaque nimius corpus gravat, morbos creat, vitam ipsam intercidit. *Hic officit & interficit.*

§. III.

Symbolum Mensa Tertium.

XI. Tertium ab eo symbolum adumbratum erat in campo cæruleo, habens pro corpore panem communem cum amphora aquæ, & inscriptionem: *Hic solus sufficit.* Videtur hoc symbolum assumptum ex illis Ecclesiastici verbis: *Initium vite hominis panis, & aqua.* Quem locum alii ita interpretantur. *Summa humana vite panis.* q. d. Vita in pane sita est, seu ad conservandam vitam sufficit panis & lympha,

*Gula interi-
mit*

*Eccli. 27. v.
33.*

*Abstemi-
longemi*

*Frugalitas
comendatur*

*Eccli. 29. v.
28.*

*Domini
frugaliter
suo habet*

pha.

XI. Identidem apparasse Domini sui fidelibus mensam extraordinarium legimus, verum semper fere in pane, & aqua.

3 Reg. 19.

Respexit inopiam alimentorum in populo Israelitico, & misericordia motus eundem reficere decrevit. Quo cibo? pane, & aqua. Vidit laborem servi sui Elia, viresque exhaustas ab itinere, destinavitque illico ad refocillandum illum Angelum. Quo apparatu? Cum quibus eduliis, bellariis, dulciariis? Non aliis, quam pane, & aqua. *Respexit, & ecce ad caput suum subcineribus panis, & vas aqua.* In hoc situm, consummatumque erat totum convivium. Cordi habuit, ut alios mittam, in novo testamento Paulum primum Eremitam, ita ut eum prodigiosè per annos sexaginta & ultra paverit. Qua alimonia? Panis dimidio. Ita cœlestis Oeconomus sanctos, electio, ac electos famulos suos nutrit; ita tractat amicos suos, & quidem ad societatem, ad contestationem omnem. *Commederunt, & saturati sunt.*

*Abundantia
non explet*

XII. Ex adversum impij Helluones epulantur quotidie cum fulminato divite splendide, nec tamen famem explent. Apponuntur illis assa, & elixa, & fritta, è silvis, & montibus petita; volantia, ac natantia, sed inter hæc omnia esuriunt & sitiunt, non secas ac Midas inter aurum, Tantalus inter poma fugacia; nec Atriciis bellariis, Græcoque meraco sitim, famemque extinguere pollent. Quia nimirum convivium supra convivium statuunt, cœnas cœnis connectunt,

fercula apponunt quorum ne numerandi quidem, ne dum edendi est facultas; non ut famem repellant, sed ut ventrem laxius distendant. Quia nimirum non tantopere illos Dominus, quam illi semetipsum pascunt, lautiusque famem non tam repellunt, quam irritant; sitim non edomant, sed veluti oleo ignibus affuso anctius inflammant.

Luc. 1. v. 9.

XIII. Notaverat hoc magna & verè fidelis Prophetissa in Cantico suo Magnificat, cum Psalleret: *Esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes.* Adimplevit bonis temporalibus & æternis, terretribus ac cœlestibus miseris; exhaustosque; at opulentos in divitiis ipsis destituit famelicos. Amplius enim sæpenumero expletur pauper fragmento panis; quam dives ficedulis, & phasianis. Condit illi fames crustam suavius, quam huic aromata ex tota Affrica. Lybiaque advecta: *Esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes.* Multitudo enim ciborum ut dixi, non tam placat famem in mensis divitum, quam proferat; non tam vires augmentat, quam extenuat. Quantum enim accrescit corpori, tantum demit plerumque demit Spiritui. Adeoque quisquis exoptat muneribus divinis pie, sanctè, salubriter frui, is à multitudine ciborum abstineat, frugaliterque ipsis vescatur.

§. IV.

Symbolum quartum discutitur.

XIV. Juxta istud aliud visendum extabat in campo niveo, & hoc exhibebat mensam Evangelicam hodiernam, pane, ac pisce instructam. Desuper illam manus protensa benedictionem impertiebat, circa eandem autem manus protendebatur, ad cælum adnexum erat Lemna: *Hoc reficit nec deficit.* Quo ipso exprimere intendebat, omnem abundantiam, ac refectionem à divina benedictione, jugique gratitudinis scatebra redundare.

Benedictio Domini dicitur Prov. 10 v. 22.

XV. Primum patet ex Salamone in Proverbiis: *Benedictio Domini*, inquit ille, *divites facit.* Non calus non fortuna, non fraus, non ulura, non rapina, quibus ditescere satagunt impii; non etiam industria, vel labor proprius; sed Dei favor, ac benedictio, est propria ac præcipua causa ditans, & replens in bonis homines justos.

Quis obsecro Abrahamum de Ur Chaldaeorum in exteris, ignotasque eductum provincias, ad tantas opes, possessionesque provexit? Nempe, *Benedictio Domini.* Benedicam tibi, ait ille, & magnificabo nomen tuum, erisque benedictus. Quis Isaac, & Jacob tantis auxit opibus; vel in terra Haran? Quis? *Benedictio Domini divites facit.* Quis Job afflictissimum, deperditum supra fastigium prioris fortunæ extulit? Quis? *Audite: Dominus benedixit*

Gen. 12. v. 2.

Job. 42. v. 12.

novissimis Job magis, quam principio ejus. Quis alios sustinet, erigitque? Benedictio Domini divites facit.

Ubi hæc benedictio non est, ibi nihil profunt cætera, nihil succedunt operæ, & industria. Ibi verificatur illud Aggæi: *Seminastis multum, & inculistis, parum comedistis & non estis saturati, bibistis, & non estis inebriati.* Deienim proprium est ditare, ac proinde ditescere volenti favor, ac benedictio Dei imprimis implorandus, tum pia, sanctaque vita promerendus.

Agg. 1. v. 6.

XVI. Alterum itidem liquet ex hodierno Evangelio, in quo promissa gratiarum actione, exiguam alimoniam in tantam exercere fecit quantitatem, ut septem panibus distributis, quatuor hominum millia refecerit, postque tot exaturatos viros, post expletam mulierem, ac parvulorum innumerabilem multitudinem, Apostoli septem cophinos ex reliquiis collegerint, impleverintque. *Et sustulerunt, quod superaverat de fragmentis, septem sportas.* Ita gratiarum actio seminarium factum est abundantiae ciborum.

Marc. 8. v. 8.

XVII. Hebræis edixerat Dominus: *Cum introduxerit te Deus in terram Chanaan, sicut juravit tibi, separabis omne, quod aperit vulvam Domino.* Quid sibi vult hæc separatio, & oblatio? Num Dominus donorum suorum avarus est repetitor? Neutiquam. Cur itaque primogenita sibi exposcit? Nempe, quia primogeniti ex gratitudinis affectu oblatio, non solum non amittitur; sed ipsum hoc munus, teste Lippomano, aperit vulvam ad ulterio-

Exod. 13.

Iyr. b. l.

res factus; Deus, inquit, exigit primogenita, ut homines hac oblatione testentur gratitudinem suam. Testari autem gratitudinem opus est acceptissimum Deo, & invitat Deum ad majorem liberalitatem. Semper enim gratitudinem comitatur abundantia, & quanto quisque se gratiorem Deo præstiterit, tanto cum liberaliorem experietur.

Matth. 23.

XVIII. Apud S. Matthæum varia talenta distribuisse Dominum servis suis accepimus. Vni dedit quinque talenta, alii duo, alii autem unum. Ex his qui cum gratiarum sænore dona retulerunt, amplioribus remunerati sunt beneficiis; qui nullum vel sænus, vel gratitudinis signum exhibuit, privatus est omnibus. Illi beneficia beneficiis camularunt gratitudine sua, hic vitio suo obnoxium se reddidit suppliciiis. Nempe cum agro id Numen commune habet, ut pro una glande silvam rependat, pro grano mensuram bonam, & conferatam, & coagitatam reponat. Cum sole, ut steriles campos intensius, ac intensius exurat, stagnantesque lymphas absorbeat, & exhauriat. Cum Oceano quod grata vicissitudine fontes refundat. Cum puteo, quod coronari cupiat.

§ V.

Symbolum quintum evolvitur.

XIX. Postremum symbolum Panem cum Manna Angelico præsentabat in campo viridi, Lemmate adjecto: *Hic tandem deficit.*

*Vit. Anti-
och. in Mar
c. 8.*

Victor Antiochenus intentiones

Domini circa hodiernum prodigium ad scrutinium revocans, autumat figuratum illud in manna cælesti. Ait enim: *Quemadmodum Deus Optimus Maximus Manna Israelitas paverat: sic ne ea vice Patre inferior videretur (nempe Christus Deus) panes hic in deserto multiplicavit.* Ut ille panem cælestem prodigiose depluit, sic hic non minus miraculosè dispensavit. Nec minus ab illa hæc cælestis alimonia dici potuit, quum à manibus Christi, & incrementum, & benedictionem cælestem acceperit. Liquidum porro est, quod Manna illud Angelico apparatus famulatio, sub auroram legeretur, soleque exoriente deflueret, ac evanesceret. *Cumque incaluisset sol liquefiebat.*

*Exodi 16. 9
21.*

Hieroglyphicum id crediderim epularum nostratum. Quid enim vita nostra intuitu æternitatis, nisi aurora quæpiam in comparatione dici? Quid sibi electi? nisi Manna quodpiam, in quo prælibamus, ac degustamus munera, ambrosiamque nobis præparatam; conjicimusque, si tanta nobis præstat in hac valle lacrimarum, quanta daturus sit in die nuptiarum; si tanta captivis erogat in ergastulo, quanta largiturus filiis in palatio. At utat arrideant dapes corporalis refectiois, evanescent perinde ac Manna, ubi dies æternitatis illuxerit, ac sol justitiæ affulserit. *Hic tandem deficit.* Imitator licet sardanapulum in luxu ciborum, Assuerum in splendore conviviorum, Cleopatram in pretio cœnarum; at scito *Hic panis, hæc epula tandem deficient.*

Cibus cælestis

XX.

XX. Innotuit D. Paulo Apostolo Corinthios paululum acerbius inter se configere de meo, ac frigidulo verbo, deque pane lucrando, & augendo. Quid ad ista ille? *Esca ventri. & venter escis, Deus autem & hunc & has destruet.* Sensus illius est Interprete Cornelio: Cur lites ob temporalia suscipitis, quæ fere ad escas, & ventrem tendunt? Esca enim res caduca est, & vilis; ad hoc facta, ut in ventrem projiciatur. Venter autem res abjectissima in homine, tantum ad hoc conditus, ut escas concoquat, digerat, egerat, aut in se contineat. Et quamvis venter resurrecturus sit cum cæteris membris, non tamen amplius escas admitteret. *Deus enim & hunc, & has destruet,* ut nimirum non sit deinceps venter escarum, qui epulis pascitur, nec escæ sint ventris, ut ventrem inescant, impleantve. *Hic tandem deficit.* Quidquid blanditur palato, quidquid delectat in transitu est. Hæc sententia mundo data, ut omnia orta occidant, aucta senescant, fortia infirmentur, magna imminuantur, dulcia in amara commutentur, ac tandem finiantur. *Hic tandem deficit.* Transibit mundus, & concupiscentia ipsius, putrescet caro, & cibus ipsius, evanescet abdomen, & pondus illius. *Hic tandem deficit.*

XXI. Eapropter universos adhortatur Dominus. *Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Si filii hujus lucis exiguis istis, & prope momentaneis deliciis identidem ita inescantur, ut se

capere non possint, quo desiderio exardescere nos par est, in bona æternæ patriæ nobis apparatus. Hic vix gustamus delicias, & avellimur; seu potius absynthio inebriamur; & perinde, ac sanguisugæ carni, ita illis adhæremus. Ibi autem possidebimus opes, fruemur gaudiis nullis sæculis defuturis; quorum suavitas non sensim, ac successivè, sed tota simul percipietur, immensa quadam accumulatione infinitorum bonorum, in æternum simul, ac velut una collectione fruendorum. *Operamini non cibum qui perit; sed qui permanet.*

XX. Adhortatus, ad id ipsum in particulari Martham satagentem circa frequens ministerium Dominus. Nihil illa intermittebat, quod tanto hospiti excipiendo consentaneum judicaret. Si quid aviaria, piscinæ, macella habuere pretiosum; totum id ad ignes, focosque ab ipsa fuerat damnatum; quatenus nimirum creatura Conditori suo gustum pergratum faceret, jam inter mortales vescenti. Sed & cellaria aperta, ut sapidissimus vini liquor flueret fonti bonorum omnium, Oceano gratiarum. Neque diceret alias bellaria tam blande visisse, quam cum ante humanissimam Christi divinitatem collocata sunt. Inter hæc ipsi sorori suæ indignata, veluti otiose sedendi ad pedes Domini, ejusque verbo auscultanti, suppetias postulavit quæribunda: *Domine non est tibi cura, quod soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi*

Martha studia in Christo excipiendo

Luc. 10. v. 4

Qq 2 ut me

ut me adjuvet. Quid vero adhuc Dominus? Arbitratus est totam cum anxietate in externum servitus genus effusam, & supra suam frugilitatem munificam, dixitque ei: *Martha, Martha sollicita es, & turbaris erga plurima; porro unum est necessarium, Maria optimam partem elegit qua non auferetur ab ea.* Istam partem nisi verses, nisi una intendas, nec tibi nec mihi sapias; nisi ad hoc figas cor tuum, ac desiderium tuum, nihil agis in tantis laboribus tuis. Ita nimirum cibus apparandus corporis, ut multo amplius animæ sua refectio præbeatur. Ita hic est sumendus, ut simul anima saginetur. Non bellè tractabis in oculis, nisi me una regnumque Patris mei verses in præcordiis. Non erit ad justum caro à te condita, nisi spiritus in his omnibus fuerit ad Deum erectus. *Operare non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Et ideo Maria optimam partem elegit, quia verbis meis, quod illius est intendit. Hanc æmulare, hoc te una refice, si mihi gratificare, meque reficere gestis. *Operare non cibum qui perit, sed qui permanet.*

ibid.

Epilogus.

Hæc symbola si non mensæ affixa & ipennicillo expressa habere licuerit, minimum cordi impressa geramus; & si quandoque mensæ lautiori accubuerimus, legamus, aut revolvamus priores illas incriptiones; *Hic ita efficit, hic sepe officit, & interficit.* Hic cibus quanto copiosior apponitur, tanto & corpori, & animæ identidem evadit pestilentior. Sic sumamus temporalem alimoniam, ne subinde amittamus per gastrimargiam sempiternam ambrosiam.

Quod si vero egestate preminur, perpendamus alia lemmata adnexa; quod nempe panis solus & sufficit, & reficit quod ea parsimonia Sancti Dei plerique victiaverint, quod benedictio Domini divites faciat in omnibus bonis, quod ipse repleat desiderium suorum.

Tandem si frugaliter donis Dei vescamur perpendamus, quod ista deficient, & ad sempiternas epulas animum, mentemque attollamus, ad illa inspiciamus, his inspe tamdiu Spiritum reficiamus, quoad re ipsa possidemus Amen.

